

# DE LINGVA LATINA SCRIBENDA ATQVE LOQVENDA

Ангела Црнобрња  
Загреб  
nenad.rozic@zg.htnet.hr

*Non est tam praeclare Latine scire, quam turpe nescire (Cicero)*

- I Salutatio
- II Praefatio
- III De statu Latinitatis hodiernae
- IV Quomodo linguae Latinae vivae studere coepi
- V Grex Latine loquentium
- VI Latina lingua omnium gentium Europae
- VII Utilitates Latine scribendi
- VIII Ratio vel methodus docendi natura librique Oerbergiani
- IX Circulus Latinus Zagradiensis
- X Conclusio

## I Salutatio

Carissimi collegae, spectatissimi Latinistae, participes honorabilissimi

## II Praefatio

Liceat mihi sententia Ciceronis incipere: *Non est tam praeclare Latine scire, quam turpe nescire.* Imprimis laetitia meam et felicitatem exprimere volo quod opportunitas datur de re mihi maximi momenti coram vobis loqui. Tandem orationem habere licet Latine de lingua Latina, quam imo in corde iam diu teneo, et gravitatem ei magnam quam habebat reddere. Diu cogitans quae et quomodo vobis enarrem de rebus ad Latinum hodiernum pertinentibus, cognovi res duas, sententia mea, maximi momenti esse dicendas: linguam Latinam hodie vero vivere, non modo in litteris Latinis, verum etiam in mente scriptis ore hominum, novam quoque methodum linguae Latinae docendae atque laudibus dignam existere. Quamvis enim linguam vivam esse putemus dummodo scriptores oratoresque ipsius existant, epistulae carmina aliaque Latine scribantur, homines convenient ut Latine loquantur. Non solum legendo, sed etiam scribendo atque loquendo ad verum finem perveniemus, ut linguam Latinam scriptam lectam dictam alte intellegamus animum Latinitatis capientes; altera ex parte Latinitatem propagemus inter homines.

### III De statu Latinitatis hodiernae

Quem locum, pro dolor, lingua Latina hodie obtinet articulus quidam in actis diurnis impressus demonstrat: *Liberis saeculi vicesimi primi oeconomia et linguae peregrinae maioris momenti sunt quam Helena et Paris* dicit moderator unius scholae privatae et pergit *quamobrem liberi docendi sunt ea quae facultatem eis dabunt ut in duro vitae certamine prospere versentur*. Num Helenam et Paridem, Homerum et Vergilium, historiam et cultum ex vita nostra expellamus? Nonne Helena et Paris vobis mecum voluntatem vim potentiam ad difficultates vitae superandas dedere? Cui obsunt lingua Latina et Graeca? Nonne tempus est, ut alia ratione eas consideremus? Nisi linguam Latinam miseram ancillam esse volumus, modus methodusque iuventutis docendae mutandi sunt.

### IV Quomodo linguae Latinae vivae studere coepi

Sed ad aliam rem transeo vobis narratura quomodo linguae Latinae vivae studere coeperim. Computatrum vero mihi maximo usui gaudioque est! Nisi computatrum et Interrete habuissem, hodie de his rebus vobiscum non loquerer. Ingressa enim orbem interretialem multos amatores Latinitatis noveram et amicos optimos inveni, quorum duos carissimos memorare liceat: magistram Germanam Iutta Vogel quacum anno praeterito tres dies in Italia egi in conventu discipulorum Latine loquentium, et magistrum Francogallum Olivier Rimbault, qui primus mecum per telephonom Latine loquebatur.

### V Grex Latine loquentium

Anno bis millesimo primo *Gregi Latine loquentium*, circulo interretiali linguae Latinae dicato me adiunxi, sodalibus huius Gregis multas epistulas Latine scriptas misi pluraque milia, incredibile dictu, ad hunc diem a sodalibus acceptas perlegi. Numero eorum sunt qui optime Latina lingua utuntur eamque sive in schola sive per se ipsos didicerunt. Opportune mihi videtur refferre testimonium sodalis Gregis Dennis Wood: *Bene scribere Latine difficillimum est; nonnulli participes Gregis excellenti arte et eloquentia scribunt, etsi optimi quidem interdum menda faciunt. Ut arenam eius generis ingrediamur, fortitudini audaciae temporis opus est. Tamen, ut Dionysius apte addidit, solvendum est parvum pretium pro gaudio seroandae linguae Latinae vivae pulcherrimae florentis opulentae subtilis.*

### VI Latina lingua omnium gentium Europae

Multi gregales *Gregis Latine loquentium* credunt linguam Latinam internationalem, ut dicitur, esse debere, cum de lingua officiali Unionis Europae agitur. Eam ob causam sententias suas ad Forum Europaeum miserunt. Cur linguam Latinam ceteris linguis anteferremus, hoc modo explanavi: *Lingua Latina neutrius partis est, propterea lingua internationalis omnium nationum vel potius omnium hominum esse potest. Nulli iam populo sermo patruus Latinus, discitur tamen plerisque in terris Europaeis; lingua pulcherrima atque sonora, apta ad omnia exprimenda, vocabula et significationes verborum spiritum et animum antiquitatis secum ferunt, veram eruditionem multorum saeculorum continet; omnes homines variarum nationum inter se loqui et intellegi possunt, nam lingua Latina est, diu erat et sit lingua communicationis inter nationes Europae; in dies paullatim numerus lingua Latina viva utentes scribendo vel loquendo maior fit; in Italia, Francogallia aliisque terris Europae (ab initio huius anni scholaris etiam in Croatia) magis magisque in scholis magistri discipulos methodo natura linguam Latinam docent. Cultus Europaeus Latine imbutus est, lingua Latina est communis hereditas humanitatis cultusque totius Europae.*

## VII Utilitates Latine scribendi

Quam ob causam grex talis perutilis sit exponam: non solum discendi causa sermonis Latini vivi sed etiam quod de variis rebus disputamus, utilissimae quarum mihi videntur eae, quae ad linguam ipsam attinent, id est ad genera dicendi, significationem verborum, rectum usum, scriptores Latinos antiquos et posteriores usque ad hodiernos, ad genera scripturae, ad statum linguae Latinae in terris Europaeis, scholas, experientiam magistrorum... ultimo maximi momenti est plerosque nostrum viribus unitis pro lingua Latina servanda provehenda propaganda pugnare. Initio ad Gregem scribens cognovi me parum linguae Latinae scire, pauca vocabula parata ad utendum, nec apte nec praeclare eloqui posse; postea paullatim Latine cogitare coepi, index verborum augebatur, verba per se ipsa veniebant. Linguam Latinam adhuc triginta circiter annos disco, viginti doceo, numquam vero prius intellexi quo modo homo Romanus loquens cogitavisset, donec ipsa scribere et loqui temptavi. Non solum cum sodalibus Gregis Latine loquentium commercium epistularum habeo, sed etiam cum omnibus volentibus, amicis discipulisque. Postremo omnes amatores linguae Latinae humaniter invito, ut Gregis participes fiant.

## VIII Ratio vel methodus docendi *natura librique* Oerbergiani

Anno bis millesimo primo de methodo *natura* cognovi deque libris *Lingua Latina per se illustrata*, quos Ioannis Oerberg (vulgo Hans H. Oerberg) magister Danicus optime composuit; quibus libris utentes discipuli Latinum sermonem methodo *natura* discunt, ut infantes cottidie linguam imitando discentes. Hi libri nulla vocabula nisi Latina continent, quae semper Latine vel imaginibus explicantur. De methodo magister Italus Stephanus Rocca breviter dixit: *Mihi semper intellegendum est ut vertam neque vertendum ut intellegam!* Etsi meta huius methodi non est, ut discipuli Latine loquantur, loquendo tamen ocius Latine cogitare discunt. Discipulo, qui sententiam Latinam bene compositam dicere potest, initio sententiae iam de fine eius cogitandum est. Ille vere comprehendit modum Latine scribendi loquendi cogitandi.

In Italia, ut videtur, maximus est numerus magistrorum methodo *natura* docentes. Praeter Italos Francogalli, Hispani, Belgi, Dani, Germani, Canadienses sunt, in America autem septentrionali ista methodus etiam divulgatur; experientia eorum monstrat ut discipuli facilius et libentius auctores Latinos legant. Nulla methodus tam perfecta expolitaque est. Discipuli methodo traditionali discentes multi Latinae linguae oderunt, ei autem qui nova methodo docentur valde amant. Libri magistri Oerbergi maximi valoris aestimantur, discipulos mediocri linguarum discendarum virtute praeditos optime adiuvant.

Etsi brevem experientiam habeo, nam ab initio huius anni scholaris nova methodo docere incepi, valde sum satisfacta: tandem discipuli attentissimi sunt, audiunt, multa legunt, optime pronuntiant, scire volunt, sententias Latinas facile componunt rectas; postremo, quod maximi momenti est, in lectionibus gaudent et delectantur. Iam tempus praeteriit, quo magistri docebant secundum eam *Oderint, dum metuant*. Si vere amorem Latinitatis discipulis tradere volumus, veram Latinam linguam non artificiosam docere oportet. *Lingua Latina viva utilissima non solum per se ipsam, verum etiam toti Latinitati prodest.*

## IX Circulus Latinus Zagrabiensis

Mense Octobri anno MMII in Taberna Urbana Zagrabiae duos amicos conveni, Stanislavum Polonum qui Varsovia ad Zagrabiam venit et Goranam Zagrabiensem. Duas horas et dimidium solum Latine de variis rebus colloquentes iucundissimum tempus egimus. Valde gaudens scientiam atque peritiam eorum admirabar; ita secundum circulos iam exstantes in variis terris Europaeis consilium cepi Circulum Latinum Zagrabiensem condere, ut amatores vivae Latinitatis in taberna vel alio loco apto convenire possint. Nomina sodalium CLZ memorare spatium temporis vetat: decem circiter omnes sunt magistri linguae Latinae, nonnulli quoque Graecae et plerumque sunt Zagrabienses (sunt autem sodales ex aliis urbibus Croatiae, qui interdum nos conveniunt). Adhuc viginti quinque conventus habiti sunt.

Omnes Circuli paginam interretialem tantum Latine inscriptam habent, in qua textus de conventibus praeteritis et opera sodalium legere, photographemata quoque sodalium spectare potestis. Circuli sunt consociati in Societatem Circulorum Latinorum (SCL) cuius descriptionem in Interreti invenietis (in pagina interretiali [www.augustinus.eresmas.net/scl](http://www.augustinus.eresmas.net/scl)). Praeterea Forum adire licet ubi sodales Circulorum commercium epistulare inter se habent. (inscriptio cuius est [www.albinus.org/forum3/listemessages.php](http://www.albinus.org/forum3/listemessages.php))

Sodales Circuli Zagrabiensis sine exceptione maximo amore Latinitatis capti sunt neque ullam aliam linguam loqui malunt. Linguam Latinam dignam vivendo matremque esse omnium linguarum Europaeorum putant, quarum originem et rationem et explicationem non tantum vocabulorum, verum etiam syntaxim et sensum continere; Latine loqui oportet, quod procul dubio optimus est modus, ut eam optime discamus. Loquendo enim vocabularium atque expressiones linguae augemus, sententias meliores componimus alii ab aliis in colloquio discentes. Primis in conventibus dictionarium secum portabamus – nunc nobis ei opus non est. Linguam, quam *mortuam* multi censent vivam facere volumus; ea enim aptissima est ad res magnificas dicendas nec non ad pocula tollenda. Breviter, dulce et decorum est Latine loqui. Omnino cogito nos sodales CLZ felicissimos homines esse, nam non solum communis Latinitatis amor nobis inest, verum etiam nullum cogitatum inter nos malevolum adest, quod rarissime in hoc mundo nostro saepe horrido accidit.

Sine dubio scire vultis, quomodo de omnibus rebus, non tantum antiquis, verum etiam eis quae ad nostrum aevum pertinent colloquamur. Pronuntiatione traditionali utimur, alii autem Circuli Europaei (quantum scimus) pronuntiatione restituta seu classica. Dictionaria vocabulorum novorum habemus, dicendum est tamen vocabula nova raro nobis necessaria esse in colloquiis, in quibus haud saepe autoraeda publica an laophoro vehimur, telephono gestabili telephonamus, photocopiamus... Parva est pars vocabulorum novorum in relatione cum magno numero antiquorum quibus utimur. Ea naturaliter ad themata colloquiorum attinent, pauca vocabula nova breviter discuntur. Quid de elegantia, circuitu verborum, lingua polita, lingua Ciceronis? Nec Cicerones nec Vergilii sumus – studemus tamen ad linguam veram Latinam propius accedere. Quomodo ad istum scopum pervenire? Optimi scriptores imitandi sunt ut temporis antiqui ita posterioris. Quam ob causam themata conventuum nostrorum sunt: Iohannis Audoeni epigrammata; vocabula Catulli carminum, Apologia Socratis in Latinum conversa, Melanchthonis orationes, Ciceronis De amicitia, Erasmi Colloquia, salus corporis et animi, pars virilis animae feminilis, ioca Latina et multa alia...

Omnes amatores Latinitatis vivae, quos colloquia Latina delectant, qui scientiam linguae extendere volunt nec non tirones in Latine loquendo humaniter invito ut participes Circuli Zagrabiensis fiant an Circulum proprium in urbe sua condant. Quibus inceptum nostrum iucundum et utile videtur, ad inscriptionem scribant meam quam in pagina Circuli Zagrabiensis [www.zagrabia.latinitatis.com](http://www.zagrabia.latinitatis.com) inveniri potest.

### X Conclusio

Valde spero me vobis explanavisse, cur linguam Latinam vivam censerem. Statum Latinitatis hodiernae tantum ad nos ipsos attinet, propterea faveamus, colamus, scribamus et loquamur quam saepius linguam omnium linguarum pulcherrimam. Amicos optimos, humanissimos, fideles per linguam Latinam inveniamus. Iuventutem doceamus veram linguam, methodo quae ad *succum et sanguinem* linguae discipulos nobiscum perducet.

Valeatis quam optime!